

AD

MAGNIFICOS DVVMVIROS

ALBERTVM BORKOWSKI

CIVIT. THORVNENSIS PRAE-CONSVLEM
H. T. PRO-PRAESIDEM, IVDICII TERRESTRIS
PALATINATVS CVLMENSIS ASSESSOREM

ET

ANTONIVM GIERINGIVM

EIVSDEM CIVITAT. THORVNENSIS PRAE-
CONSVLEM ET PROTO-SCHOLARCHAM

SVPER INGRESSV ET EGRESSV

ANNI CLIMACTERICI MAGNI

ALTERIVS A. D. XXIX IVN.

ALTERIVS A. D. XXX OCT.

GRATVLATORIA EPISTOLA

SAMVELIS LVTH. GERETI, THORVN.
LL. AA. St.

GEDANI,
TYPIS THOMAE IOHANNIS SCHREIBERI
TYPOGRAP

MAGNIFICI DOMINI,

Nemo eſt eorum, qui bene huic civitati cupiunt, qui non cum omni felicitatum genere, quae VOBIS contingant, rectoribus illius, laetetur ſemper, tum vero hoc, quod iucunde imprimis in hunc annum incidit, ut idem ambobus magni illius anni climacterici, alteri initium, alteri finem afferat. Is eſt enim, DOMINI, concurſus ille, cuius ut grata atque ſuavis per ſe cogitatio eſt, ſic hilaritas ex eo capienda tanta, quam etiam e vultu ſincere gratulantium legere debeatis. Hos nimirum aio ſincere VOBIS diem veſtrum gratulari, qui nihil

 in

in hoc officio consuetudini, nihil adulationi, nihil privatis commodis dent, auctoritati vero dignitatique VESTRAE, non illi quidem nihil omnino, attamen minimum attribuant; sed qui, cum VOS cogitent, cogitent Reip. columina e praecipuis & firmissimis duo, cum incolumitatem VESTRAM, cogitent incolumitatem patriae, cum annis muneribusque graves VOS, cogitent etiam virtutibus & meritis; qui denique sic de felicitate atque salute VESTRA, quasi in qua commune bonum versetur, sentientes, Deum rogent, inter piissimas votorum nuncupationes, ut, quorum bonorum partim auctores, partim custodes VOS esse voluerit, eorum quoque testes, & arbitros, & Ipsos participes nobiscum esse quam diutissime iubeat. Haec est illa gratulatio, h. e. ipsa ad Deum gratiarum actio, non ad hoc tantum saeculum pertinens, sed ad omnem perpetuitatem consequentis temporis, neque terminanda cum vita VESTRA, quamvis illam VOBIS longam nostrae preces impetraturae sint, sed transmittenda ad omnem usque posteritatem, quae tum quoque, cum VOS evocati eritis ad superos, prosequetur grata recordatione eorum virorum memoriam, quibus magnam partem prosperitatis suae deberi, traditum a nobis acceperit. Et sicut Laertius Diogenes * narrat, Epicuri quondam

* X, 18. Cic. fin. II, 31.

quondam discipulos magistri natalem anniversaria celebratione coluisse, ita, qui post nos erunt, semper utrumque diem festum habebunt, qui BORKOVIOS atque GIERINGIOS populo Thorunensi dederit. Quae igitur caussae futurum aliquando saeculum impellent, ut, fuisse atque floruisse VOS olim inter maiores VESTRVM similes, gaudeat, illae nunc me ad eam laetitiam excitant, quae nolit iam intra pectoris angustias contineri, sed erumpat foras, testesque quamplurimos habere, &, si possit, alios quoque provocare ad idem studium, gestiat. Itaque primo taceo, quibus rebus privatim domum meam devinxistis, quae praeterea sunt ita & multae & magnae, apud TE praecipue, MAGNIFICE BORKOVI, ut neque possint neque debeant perfunctorie, & velut obiter, tractari. Deinde quae publice a VOBIS gesta sunt, ne illa quidem volo commemorare, quae quanta exstent, cum in civitate universa, cui uterque praeestis, tum in Gymnasio, cuius TV summum praesidium es, MAGNIFICE GIERINGI, sentio equidem, ut qui optime, sed laudanda pro dignitate, ego ille indisertus & infans, tutius posteris permitto, inter quos futurus est illorum praeco, & facundior multo, & praeterea incorruptior, non unus. Me quidem una imprimis cogitatio tenet eius felicitatis, quam Commune Thorunensium VESTRAE curae, VESTRISQVE consiliis debet,

 quae

quae duratura est, quoad aut Ipsi inter nos eritis vivi, aut sapienter a VOBIS constituta ventura aetas non immutabit. His enim gratulor potius, quam VOBIS, natalem VESTRVM, qui per VOS optima pace & nunc fruuntur, & fruituri sunt postea. Quem natalem haud scio an multi singulari quadam, nonnulli autem stupida admiratione intuebuntur, cum videbunt VOS constitutos, alterum in imo quasi gradu illius vulgo reformidati anni, alterum in summo, forte etiam auguria nescio quae inde capient. Quos ego non contemno simpliciter, qui scio, quantum olim a Varrone, a Plinio, ab aliis, longa inde usque a Chaldaeis observatione edoctis, disputatum sit super scansilibus illis annis; sed me minus movet illud periculum, quod putem alterum subire cum hoc anno, alterum evasisse; quod si est aliquod, equidem toto animo & superatum gratulor, & superandum opto: plus me vero delectat, non ipse per se annus, ortus e septenario & novenario in se ductis; sed fastigium quodcunque senectutis, quod nunc uterque attigistis. Video enim non modo capitum illam, sed praecipue fidei & virtutis reverendam canitiem, nec ipsam hanc annorum gravitatem, sed ductam ab his experientiam, e qua una omnium maxime augurium certius atque laetius omnibus Mathematicorum, h. e. apotelesmaticae Astrologiae praedictionibus, capio, eius prosperitatis, quam maturitate consilio-

rum

rum VESTRORVM ſubnixam VOS civitati noſtrae & olim ſpondetis, & nunc Ipſi firmatis. Neque vero is ego ſum, qui dilaudans iſtam ab annis experientiam aut ſenectuti in ſolidum illam, quae mentibus reſidet, prudentiam, velim adſcriptam, aut omnino eam, niſi ab annis contrahi poſſe, negem; ut quandam in Germania nationem, omnibus & belli & pacis laudibus onuſtam, cavillantur. Nam ſi vellemus ad hanc velut annariam quandam legem ſapientiam adſtringere, ut pauci ſunt, qui vel annos multos, vel cum annis uſum rerum multarum habeant, ſic verendum eſt, ne pauci reperirentur, qui ſapientes dicerentur, pauciores, qui nominis illius menſuram implerent. Illud tamen dicere licebit, ſi quis praeditus mentis atque ingenii dotibus iis, quas in VOBIS ſuſpicimus, aſſequatur praeter haec eum, quem VOS, numerum annorum, coniunctumque cum his eum, quem VOS conſecuti eſtis, publicorum atque forenſium negotiorum multiplicem uſum, ab illo plus poſſe ſperari, qui utrumque habeat, quam qui ſingula. Hic vero eſt, ubi videre mihi videor quaſi campum late patentem, in quo mea exſpatietur oratio. Cui quid impedit, quo minus frenos laxemus, illumque paullum perſequamur locum, ad quem velut ex improviſo deductos nos videmus. Tanto id quidem lubentius facio, quod ſperem, quae de publica per VOS felicitate dixi, ex

animi

animi mei ſententia, exque ſenſu quodam illorum bonorum dicta viſum iri, ſi demonſtraverim id, quod demonſtrabo, ſi vos veniam datis, cur mihi vere dixiſſe videatur, quisquis primus dixit: *Experientiam prope unam ſolamque eſſe rerum magiſtram.*

Principio talis natura divinitus data eſt hominibus, ut ad experiendum prius, deinde etiam ad ratiocinandum, nati factique videamur. Etenim quaqua mittamus aciem oculorum, circumdati ſumus rebus corporeis, quarum cognitio ſenſu efficitur. Niſi forte nihil extra nos veri ſolidique reperitur, nosque imaginibus tantum, variisque veluti ſomniorum ſpeciebus ludimur, & quaecunque vel auribus accipimus, vel oculis, quaeque palatum adficiunt, vel naribus adflantur, vel tactui cedunt, ea non per has quaſi feneſtras intrant in animum, ſed in ipſo intellectu noſtro & oriuntur & conſiſtunt & occidunt. Eſt haec fatuitas primo ita prorſus ab omni, non modo philoſophia, ſed humana ratione, aliena, ut interdum ipſi larvas atque umbras, ut rerum iſti, ſic hominum hi, quibuscum pugnent, ſumere ſibi videantur, ſi qui aut putant eſſe aliquos, quos appellant Idealiſtas, aut tales, quales vulgo ſolent, animo informant. Deinde vero maneret ſic quoque eadem experiendi neceſſitas, iisdemque legibus deciperent mentem noſtram, quibus erudiunt atque

percellunt

percellunt eam, rerum imagines; atque ut, qui vere videt ſphaerae rotunditatem, ſemper eodem modo videt, ita qui videretur ſibi illam videre, etiamſi non eſſet, tamen eodem modo ſemper ſibi videretur. Nunc vero ſapientiſſimus huius univerſitatis opifex & illa omnia, quae nos circumſtant, tam vera effecit, quam vere ſumus ipſi, & ut a nobis poſſent cognoſci, tamquam vias aperuit quinque, per quas cuncta extra nos, quae fiunt, quaeque ſunt, ad animum noſtrum allaberentur, quorum alia ſpeciem nobis obiicerent ſuam, alia ſonum referrent ad aures, alia linguae velut molliſſimis glandulis, alia narium tenuiſſimis fibris, alia toto corpore poſſent ſentiri. Ex quo exſiſtit ſingularum rerum cognitio, quas ubi ſaepius easdem ſenſibus experti ſumus, oritur proportio, quam Graeci αναλογιαν appellant, quibus tamquam adminiculis erecta atque ſublevata mens noſtra poſtremo pervenit ad ea, quae omnibus communia ſunt, h. e. ad univerſalium ſcientiam, quam nunc ſeiunctam a Metaphyſicis nominant Ontologiam. Et poſtquam ars illa inventa eſt, praeclariſſime profecto humano generi conſultum eſſet, ſi iam ex illis univerſaliter dictis, quid ſentiendum ſit de ſingulis, colligi poſſet, liceretque impoſterum, magno diſciplinarum compendio, experimentis rerum capiendis ſuperſedere. Nunc id uſu venit, ut, quemadmodum imperatorum aliquem

 ferunt

ferunt adſcendere ardore venandi avia montium potuiſſe, deſcendere, niſi praeſenti aliquo numine, & quaſi απο μηχανης, non potuiſſe: ita illa, quae in univerſum de ente dici poſſunt, facilem illa quidem adſcenſum habeant, deſcenſum vero difficillimum. Quod item fit in Logicis, ut intuendo exempla modosque rerum inventarum, poſſint leges erui quaedam, quas in aliis rebus indagandis alii ſequantur, per easque, ſi modo recte utantur, extra errandi periculum conſtituti ſint; ſed illud ipſum, recte uti, ſumma difficultate laborat, prorſusque indocilem diſciplinam habet, ut intelligatur, aut nemini profuiſſe umquam, aut potius nullam eſſe artem univerſalem veri inveniendi. Sed non eſt hic locus adverſus artes illas diſputandi, quod neque perſonae meae ſatis conveniens eſt, neque caret invidia: libenter enim omnes dabunt mihi, quod volo, uſu atque experientia res humanas eſſe cognoſcendas.

Sed ut in caeteris rebus apparet, hominem homini auxilio eſſe datum, vitamque ipſam, quod ait Ennius, vitalem eſſe ſine ſociis hominum officiis non poſſe, ex quo principio in civitates, exuto ferarum more, coiri coeptum eſt: item videmus in experimentis rerum capiendis tradi operas mutuas, ut cum brevem ipſi naturae lege habeamus huius lucis uſuram, parumque nobis ad experiundum ſpatii con-

cessum sit, saepe etiam opportunitas cognoscendi quamlibet grandi natu hominibus desit, liceat in omni re, quae nostram diligentiam effugiat, uti alienis oculis tamquam nostris. Et quamquam in multis tutius est sibi credere quam aliis, stultum esset tamen, malle, quidquid ipse non experiaris, in hac praesertim brevitate vitae, nescire, quam discere ab aliis, quorum saepe fides atque testimonium plus valere debet, quam ipsi sui imperitis oculi. Ex his intelligitur, cum dicatur experientiam esse rerum magistram, experientiam dividendam esse *in alienam* & *in suam cujusque propriam.*

De *aliena* prius dispiciamus. Video enim eminus advenientem reprehendentium turbam, qui hoc improbent propositum meum, parumque probabilem experientiae laudatorem caussentur eum, qui ipse, quantum boni insit in illa, suo usu compertum non habeat. Nam quid? inquient, habere tritum subactumque rerum vitaeque usu longo animum, quam sit utile quamque iucundum, illud hic nobis, si dîs placet, narrabit? ut si tu in pueritia constitutus inducas in animum senectutis recitare sive commoda sive molestias, quorum tu neutrum attigeris; aut palato nostro commendare instituas ciborum quasdam delicias, quas Apicius descripserit, non quas ipse gustaveris. Quibus ego non respondebo, me quoque, quamvis adolescentem, quamvis

 pauco-

paucorum retro annorum, quamvis exiguam, tamen aliquam habere experientiam; nec dicam intelligere me, & expertum intelligere, pueritiae saltem, quam excesserim, hos esse mores, quos Flaccus descripsit:

Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas;

iuvenilia quoque ipsa, quae ibidem poëta depinxit, iuvenem me vera usu deprehendisse, (quam sobrie atque restricte, iudicandum relinquere illis, qui me norint;) sed illud dicam, ut de me nihil loquar, cadere tamen in adolescentem experientiam eam, quam disputamus, fierique posse, ut experientior sit alienis factis gestisque nonnullorum mediocris, quam plerorumque gravis aetas.

Ita est, quidquid est experiendo usuque rerum cognitum aut a singulis hominibus, aut a paucis, id illi non sibi solis, sed omnibus didicisse censendi sunt. Ipsa religio Christiana, quae comprobata est maxime miraculorum editione, nonne labasceret, nisi niteretur experientia, tamquam fundamento suo, aliena? Cum enim omnium ingentium factorum, quibus principio Moses cum reliqua ante-Messianorum sancta cohorte, postea Christus ipse cum Apostolis fidem divinae missioni suae fecerunt, nihil ad nos, nisi sola

fama

fama atque descriptio pervenerit, ecquid relictum est nobis, nisi ut illorum fide stemus, *qui suis auribus hausta, suisque usurpata oculis, suis denique palpata manibus omnia nobis de illo vivifico verbo tradiderunt.* * An vero etiamnum postulamus prodigia nobis inspicientibus fieri, neque intelligimus, quae caussae fuerint sub initia regni cœlestis miraculorum edendorum, eas nunc, illo condito, ad suumque prope fastigium perducto, esse nullas? Neque vero vim divinam in his agnoscet aut sentiet fortius is, qui tunc vixerit, cum illa gesta sunt, quive viderit, aut in seipso sit expertus, quam ad omnem usque ultimamque posteritatem quicunque consignata monumentis certis atque indubitatis illa accipiet. De morte C. Caesaris, utamur enim hoc, aeque omnibus, qui modo aliquid sciunt in historiis, constat, atque his, qui illis ipsis idibus Martiis Romae adfuerunt, quique ipsi audierunt clamores Bruti procurrentis in populum, manuque impia sublatum viderunt pugionem cruentum. In Evangelica autem historia, ut iam hinc quoque sumamus exemplum, exhausta illa fluxu sanguineo muliercula, fimbriaeque contactu sanata, quamquam ipsa corpore suo praesentissimi vim numinis experta est, convictio tamen de divina virtute maior in illa non fuit, quam quae in omnium mentibus excitari debet, qui de

 fide

* 1 Joh. I, 1.

fide rerum gestarum didicerunt rectum iudicium ferre. Quod igitur Nicodemus ille recte vidit, caelitus missum esse Christum, quod portenta tam multa tamque magna edere, nisi divina vi praeditus, nemo posset; idem nunc quoque fateri debent hi, qui ea, quae suis oculis vidit Nicodemus, invictis monumentis tradita tam certa atque explorata habent, quam si ipsi arbitri atque testes interfuissent. Videmusne veritatem Christianam quibus tibicinibus fulciatur? non modo interna vi sua atque robore, sed ipsa sensuum experientia, sensuum vero, non quibus nos usi simus, sed quibus illi, quos neque ipsos falli potuisse, neque fallere voluisse, invicte totis libris demonstratum est eorum, qui defensionem religionis Christianae susceperunt.

Quid spes atque fiducia piorum? Nihil est, quod non illa exspectet ab eo Deo, qui omnia bona promiserit suis cultoribus, quaeque promiserit, velit, quaeque velit, possit. Qua cogitatione repleta mens piorum, sicut Abraamus quondam indubitate speravit ea, quae fieri posse aut solere nullo ad illum usque diem exemplo viderat;* ita ipsa hunc imitata patrem fidei, nulla fortunae adversitate, nulla huius vitae calamitate, nulla dubitatione obiecta, ac ne morte quidem ipsa, dimoveri se a fiducia in Deum concepta patietur. At haec

* Rom. IV, 17

haec quidem eſt πληροφορια tanta, quam ut recte requiras in omnibus, ſic vereor ne reperias apud paucos. Eſt aliud velut nutrimentum fidei & ſuſtentaculum, quo erectae mentes, infirmae quoque & imbecillae, excitentur ad fiduciam erga Deum, cum intueantur omnium retro ſaeculorum omnes homines, in quibus exſtantia exempla providentiae opisque divinae, ſive fama & auditione, ſive literarum monumentis, ad nos perlata ſunt. Nam ſi homini nemo ita diffidit, ut non libenter medico vitam valetudinemque ſuam committat, ſi quis eius artis, quam profitetur, documenta idonea ediderit in aliis: quanto magis fidendum eſt Deo, etiamſi in adverſiſſimis rebus nondum umquam auxilium illius ipſe ſenſeris, ſi conſideretur, quantis ex anguſtiis, quam provide, quanta ex inopia, quam feliciter, quanta ex ignominia, quamglorioſe ſaepe Deus eos eripuerit, qui animum non deſpondiſſent. Semper enim laeta atque iuſta ſpes affulget, paria fortunae ludibria parem eventus laetitiam eſſe conſecuturam.

Nec vero haec tantum pars hiſtoriae, quae continet exempla opis expertae ab aliis, mirifice nos quoque confirmat, ſed in univerſum hiſtoriam omnem aio eſſe comparatam ad hoc, ut quidquid vel praeclare, vel turpiter, vel cum ratione & conſilio, vel temere in unoquoque genere

gestum

geſtum eſt usquam, ab eo omnis deinceps poſteritas, velut experimento capto, diſcat partim prudentiae atque ingenii opes locupletare, partim reprehenſionem atque vitia ſedulo evitare. Atque haec quidem alienae experientiae cognitio, quae per hiſtorias accipitur, habet utilitatem tantam, tamque certam, ut imberbi quoque adoleſcentiae ſenilem interdum intellectum det, expertamque faciat aetatem eam, a qua vulgo niſi rude & imperitum exſpectatur nihil. Itaque in Somnio Luciani, quo ille, ſicut Prodicium Herculem in virtutis atque voluptatis bivio, ſic ſe facit conſtitutum inter Eruditionem & Statuariam medium; recte Eruditio primum bonorum pollicetur adoleſcenti hoc, ut aliorum egregiis dictis atque factis legendis, ipſe rerum uſum atque peritiam ſibi mature contrahat.* Hoc ſolum ſtudium, non ulla ſuffultum experientia ſua, quantum olim Lucullo profuerit in bello Mithridatico, numquam ſine admiratione legi apud Ciceronem poteſt.** Qui cum ne tirocinia quidem in caſtris ulla poſuiſſet, neque in ullius contubernio imperatoris vixiſſet, ſed, uti narrat ille, quo diſertior praeco ipſi contingere nullus poterat, *adoleſcentiam in forenſi opera, quae-*

ſturae

* Tom. I pag. 8 Graev. επιδειξω σοι παλαιων ανδρων εργα και πραξεις θαυμαστας, και λογους αυτων απαγγελλουσα, και παντων, ως ειπειν, εμπειρον ἀποφαινουσα.

** Acad. II, 1.

ſturae diuturnum tempus, Muraena bellum in Ponto gerente, in Aſiae pace conſumſiſſet, tamen, ut erat incredibili quadam ingenii magnitudine, non deſideravit indocilem uſus diſciplinam. Itaque cum totum iter & navigationem conſumſiſſet partim in percunctando a peritis, partim in rebus geſtis legendis, in Aſiam factus imperator venit, cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis. Hoc nimirum praeſtat rerum geſtarum ſcientia erudito iuveni, quod indocto ſeni nulla aetas nullaque canities attribuet. Quare cauſſidicus quidam, non unus e multis, verum longiſſime ultra formulariam iſtam rabularum atque leguleiorum eruditionem ſapiens, acute ei, a quo contemtus fuerat ob iuventutem, reſpondit: *Ego ille iuvenis tanto antiquiores legi libros.** Quanto enim longior eſt aetas, quae per hiſtoriarum lectionem, quam quae vivendo decurritur, & rurſus, quanto plures actores in hac veluti vitae fabula hiſtoria nobis in ſcenam adducit, quam quos unius hominis aevum breve monſtrat: tanto illa experientia, quae comparatur alienorum cognitione factorum, praeferenda eſt ei, quam quis ſuae ſolius uſu atque conſuetudine vitae contraxerit. Quo prudentiori conſilio factum eſt, ut antiquorum potiſſimum Graecorum Latinorumque libri in ſcholas introducerentur. Non profecto, ut ex his ſyllabas colligere, aut huius ſaeculi

C infice-

* Je ſuis jeune, mais j'ai lû de vieux livres, Gallus enim erat.

inficetam, ut nunc fere eſt, Latinitatem intelligere diſcerent pueri, ad quam poterant faciliori multo ac breviori via perduci; ſed ut mature conſuetudinem cum his contraherent, etiam viris non intermittendam, & felici quodam contagio inficerentur eorum hominum, quorum tota vita in maximorum belli pacisque negotiorum uſu perpetuo verſata, eloquentia autem formata eſſet, non in hac umbra ieiunis rhetoricae praeceptis ſub ferula inſudantium, ſed audiendo oratores illos, qui opes, honorem, dignitatem, famam, vitam alienam tueri dicendo, ſibi vero comparare haec omnia, & ſi quid maius eſſet in hoc imperio, quo clarius atque potentius ſol nunquam vidit, potuiſſent. Cumque prudentiam dixerimus facillime augeri experientia aliena, eamque monumentorum tractatione veterum fieri cuiusque propriam, quid utilius ad hanc rem eſſe poteſt antiquis hiſtoricis, qui nempe non erant ex illis domi deſidentibus, *quos Lucianus narrat*, * alienorumque nuntiorum leviſſima fide ſtantibus, ſed quarum rerum ſcriptores, earundem magnam quoque partem actores fuere, tantumque rebus ac factis, quantum literis inclaruerunt. Commemorabit inter ſummas laudes TVAS, MAGNIFICE GIERINGI, ventura aetas hanc non poſtremam, quod TVIS potiſſimum

* De hiſt. conſcr. T. I p. 628 Graev. τῶν καθοικιδίων τινες, οὐδ᾽ οἷοι πιστευειν μονον τοις ἀπαγγελλουσι.

tiſſimum auſpiciis TVOQVE comprobatu vigent in hoc noſtro Gymnaſio, ut in paucis, hae literae, quae non tantum homines faciunt & manſuetos, e quo humanitatis nomen acceperunt, ſed, ut Achillem quondam ſuus Phoenix fecit *verborum oratorem actoremque operum*, * ſic ipſae utramque hanc vim, quae conſtat maxime experientia, & pariunt iuvenibus, & viris augent.

Jam in puerorum quoque educatione quantam vim habeat experientia, ut quisque pluribus in liberis educandis ipſe verſatus eſt, ita optime intelligit. Qui urere ignem credunt, vix cuiquam, niſi extremo ſaltem digito experti, illi pulchrum eſſe honeſtum, turpe autem flagitium, nolent profecto, niſi ipſi viderint, aut in aliis, aut in ſe, umquam credere. Affer his, praeſertim invitamento iam aliquo allectis, vel ad ebrietatem, vel ad voluptatem, vel ad reliqua flagitia, e philoſophorum ethicis libris ratiunculas quasvis, oſcitabunt nimirum, aut parum certe fortiter commovebuntur, atque adeo Chremyli illud apud Ariſtophanem ſenis tibi ingerent: *Non perſuadebis, ſi vel maxime perſuaſeris.*** Vult aliquis a vino-

* Ιλ. Ι', 443, μυθων τε ῥητῆρ εμεναι πρηκτῆρα τε εργων.

** Plut. 600 ου γαρ πεισεις ουδ ἠν πεισῃς. ſimile illud Francici Ariſtophanis, in *mulieribus doctis*, ni fallor:

Prêchez, patrocinez, jusqu' à la Pentecôte,
Vous ſerez ebahi, quand vous ſerez au bout,
Que vous ne m'aurez rien perſuadé du tout.

lentia iuvenem dehortari, monſtrabit ei, quod Lacedaemone fieri ſolitum narrant, tinctum aliquem poculis, greſſu illo titubante, geſtu laſcivo, ore balbo, riſum puerorum, virorum indignationem, commoventem; monſtrabit, vel in tabula, illum in Xenocratis auditorio Polemonem, odium & ludibrium, quicunque audientium honeſti erant; aut coram aliquem monſtrabit, non iam vulgi propinatum deriſui, ſed vel ad incitas ingurgitatione ſua redactum, vel morbo aliquo triſti, vel ipſa morte ſubita vini intemperie correptum; denique, ſi quid forte ipſe tentaverit aliquando, recordari iubebit, qualis tum fuerit, quanto ferinae, quam humanae, naturae propior. Ille enimvero adoleſcens, credens oculis, credens experientiae ſuae, citius, puto, ſe hoc modo, quam frigidis interdum philoſophorum concluſiunculis abduci ab inhoneſto patietur. Pulchre, ut omnia, Flaccus, laudans ab educatione ſimili patrem ſuum, ſimul docens, antiquiſſimum hunc eſſe morem.*

Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipſe paraſſet:
Nonne vides, Albî ut male vivat filius? utque
Barus inops? Magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cum deterreret, Sectani diſſimilis ſis.

Ne

* Serm. I, 4, 107 ſqq.

Ne sequerer moechas, concessa cum Venere uti
Possem, deprensi non bella est fama Treboni,
Aiebat: sapiens vitatu quidve petitu
Sit melius, caussas reddet tibi: mî satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam, famamque tueri
Incolumem possim. - - -

Sed usquequaque circumspicienti mihi, quaecunque vel opificia, vel artes, sive manu sive ingenio exercendae ab hominibus repertae sunt, videntur illae, quae veriores perfectioresque habentur, usum solum fere magistrum habuisse, quarum vero incerta aut inelaborata disciplina est, iacere atque frigere, non quo ingenium studiumve hominibus deesset, sed quia, ut flamma sine nutrimento vim suam exercere non potest, sic illa vis ignea ingeniorum, ubi usu quodam rerum ipsarum experimentisque, velut materia sua, destituitur, exserere se frustra conatur. Cur enim tam macilenta est fere omnis de mente nostra, de spiritibus, de elementis naturae, de aethere, de siderum habitatoribus, similibusque, philosophia, nisi quia experiri homines ea, quae volunt, non possunt. Et quamquam plurimae res detectae sunt humani sollertia ingenii, tamen & saepissime ratiocinatione, sensibus non adiuta, scimus erratum esse, & coniecta atque adeo indagata feliciter non

prius ab omnibus, quam uſu accedente, comprobata. Beati erant concluſionibus ſuis veteres, cum inhabitabilem & deſertam facerent partem orbis terrarum unam maximam, idque non alia re, niſi quadam comparatione ſolis efficerent, cuius obliquis radiis cum tot populi torreantur, putabant, illos non poſſe non aeſtu confici, quorum vertici ſol rectus immineret. Atqui experientia docuit, quam peregrinantium navigantiumque ſtudio debemus, non utique incultas eſſe regiones illas, quae ſub torrida, quam vocant, zona continentur, ſed ut ambitu ſpatioque ſuo ampliſſimas, ſic incolarum rerumque cunctarum, quas naturae benignitas hominum generi conceſſit, longe omnium fertiliſſimas, ſolis autem calore, quamquam incumbente verticibus, tamen & montium altiſſimorum umbris, & fluviorum refrigerationibus, & craſſitudine nubium, providentiſſime temperato fruentes. Antiquorum vero illi, qui globoſam eſſe terram, circumfluoque mari ambitam viderant, quamquam firmabant eam ſententiam rationibus idoneis, tamen apud imperitum vulgus illorum, qui nihil mente cernere didiciſſent, quod effugeret aciem oculorum, cum docerent eſſe aliquos infra nos, contrarios veſtigiis noſtris, qui Antipodes appellentur, iisque lucem diei tunc oriri, cum nobis occidiſſet; quos clamores, quem contemtum, quas calumnias, quas denique vexationes ab imperitis ſuſtinuere? Vt nunc

illi ipsi, qui in eadem re idem facturi erant, non possint sine indignatione aut risu legere, quae facta sunt Salisburgensi Virgilio, aut ea, quae suaviter declamavit ille, qui discere meliora e Tullio suo poterat, Tullius Christianus, extremo libro *de falsa sapientia*. Quorsum igitur haec? nempe ut doceamus, quamquam multa sagacitas hominum, sine ullo sensuum adiumento, perspexerit, tamen fatendum esse etiam hoc, eorum, quae non sunt usu ipso comperta, alia probabilia parum esse, alia ne certa quidem satis haberi. Quaecunque vero certa & constanti lege sciuntur & fiunt, ea omnia tentando, experiundo, conando, dies perfecit. Itaque de caeteris artibus Lucretius recte:*

Navigia atque agriculturas, moenia, leges,
Arma, vias, vestes, & caetera de genere horum,
Praemia, delicias quoque vitae funditus omnis,
Carmina, picturas & daedala signa polire
Usus & impigrae simul experientia mentis
Paullatim docuit, pedetentim progredientis:
Namque alid ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venere cacumen.

In illis autem quatuor, quas appellant *facultates*, quibus omnes doctrinas artesque academiarum de more comprehendimus,

* V, 1447 ad fin.

dimus, quis non videt, quam multa uſus potiſſimum invenerit. Non ita bene ſcirent oraculorum divinorum depoſitarii, quam certam atque firmam, quamque undique ſuis armis ſuisque munimentis tutam veritatem cuſtodiant, niſi uſum partim ſubdolorum, partim apertorum hoſtium habuiſſent; neque tantos theſauros caeleſtis doctrinae e ſacris literis eruiſſent, niſi tot huius divinae monetae adulteratores, non modo pro aere lupinos, ſed id, quod vilius eſt lupinis, pro auro puriſſimo cultoribus veri obtruſiſſent. Neque item tam prompta ad omnes caſus neque tam ſubtilis eſſet Jurisprudentia, neque ipſae leges tot quaſi vallis atque aggeribus ad omnia effugia eſſent obſeptae, niſi longa fori conſuetudo, ac frequentes reorum exceptiones, captationes, praevaricationes, & ſexcentae eiusmodi artes neceſſitatem legitimae ſcientiae impoſuiſſent, mille nodis atque vinculis multiformem illum Protea conſtringendi. Ars vero medicina, quanta quanta eſt, adeo conſtat experientia, ut nonnulli etiam dubitaverint, utrum artium numero illam haberent, quae principiis certis atque generalibus videretur carere; alii autem empiricos a ſcientibus tamquam ignobiliores voluerint ſecerni; neutri, ut videtur, ſine magno aliquo errore, nam neque ea, quae uſus multiplex docuit, non poſſunt ſub leges atque praecepta redigi, neque qui haec didicerit, quique omnium morborum cauſſas generales

rales noverit, non debebit empiricus, h. e. eorum, quae quotidie aegrotantibus accidunt, & ſedulus & perpetuus obſervator eſſe. Atque haec quidem diſputatione non egent, apud TE praeſertim, MAGNIFICE BORKOVI, quem cum in caeteris rebus, tum in his quoque haud vulgariter verſatum eſſe ſcimus; non ut, quam cum ſumma omnium laude reipublicae curam, eandem quoque corporum geras, ſed quia capax illud & ampliſſimum ingenium nihil, verum atque utile quod ſit, cognitione ſua indignum putat, atque ſic etiam, quanta mens, quam provide, pro communi felicitate excubet, oſtendit.

Nec vero naturalis philoſophiae pars illa tantum, quae dandae tuendaeque valetudinis tradit rationem, inventa atque amplificata eſt experimentis, ſed quidquid fere in phyſicis cum ratione dicitur, ab illis prolatum eſt in lucem, non, qui velut ille nubem pro Junone, ſic ipſi ingenii ſui ludicra amplecterentur pro vero & pro re, ſed qui attenti eſſent ad ea, quae gignuntur & fiunt, ac tum demum adiuti opibus iis, quas numerorum & quantitatum ſcientia praebet, peplum ipſum, quo ſe natura obvolvit, quodammodo retegerent. Conferat aliquis cum hac naturali doctrina, quae nata in veteri Epicuri ſchola, diuque obſcurata reliquorum nugis inſtaurata eſt a Gallico Gaſſendo, & inde translata ad Britannos Boyleorum Newtonorumque in ſinu nutrita, exculta vero & ornata ab

 universo

univerſo doctorum collegio regio, accepta eſt inter Germanos, horumque & caeterorum ad occidentem populorum ſtudio certatim amplificata; hanc igitur philoſophiam, quae ad illum gradum, in quo illam videmus, pervenit experimentis, comparantibus priſtinae Peripateticae, ſcholarum omnium per bis mille decurſum annorum, unicae & magiſtrae & dominae, aliquidne videntur dicere iſti, qui phyſica nugalia ſua nobis vendunt, nec malunt in his rebus, quae referuntur ad ſenſus, expertis credere vel ſibi vel aliis, quam philoſophari, ſi tamen id eſt philoſophari, cum Stagirita patre, qui, ut in caeteris diſciplinis non indignus eſt laude inventoris & ſubtiliſſimi doctoris, qua nunc a nonnullis non ſine iniuria defraudatur, ſic in rerum natura explicanda friget totus, illamque ipſam aliunde partam gloriam obfuſcat. Sed cum neque in hac amoeniſſima naturae cognitione, quam dicimus, neque in toto velut orbe & ambitu ſcientiarum, adeo omnia quis tradita accipiat ab aliis, ut non multa quotidie, verſando cum hominibus & literis & artibus, diſcat ipſe, dabitis mihi, DOMINI, apud vos loquenti hanc non ſpatioſiſſimam ultimam quaſi clepſydram, ad quam de altera quoque parte experientiae, quam quis *ſuo uſu* poteſt acquirere, pauca breviter diſſeram.

Eſt iucunda, eſt & utilis, eſt neceſſaria denique experientia ſua. Parumne voluptatis eum, qui multa viderit, fecerit,

tulerit,

tulerit, ſudaverit, alſerit, percipere putamus, ſive ipſo ſenſu praeſentium & praeteritorum recordatione, ſive ab illa gloria & auctoritate, quam hinc apud alios nanciſcatur?

Dic mihi, Muſa, virum, captae poſt moenia Troiae
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Ipſa exſpectatio delectat, adeo multum ſuavitatis poeta promittit in ipſo ingreſſu legentibus. Quae ſi tanta eſt in animis eorum, qui relatum legunt de alio, quanta eſſe debuit in ipſo, de quo ſcriptum habemus? Magno quidem, inquis, pretio. namque

- - - - *multum ille & terra iactatus & alto.**

Atqui etiam adverſarum rerum dulcis memoria interdum recurrit. Id enim ſignificatur veteri Latinorum proverbio, quod *iucundos actos labores* dicit.** Vt non omnino recte Themiſtocles videatur pollicenti cuidam artem memoriae reſpondiſſe, ſe vero obliviſcendi malle artem diſcere. Cum enim agnoſcamus animi illius magnitudinem, cui moleſta erat in-

* Vtimur Virgiliano de Aenea, quamquam de terra nihil eſt in Odyſſea, ne vel graece vel noſtris eſſet verbis dicendum. Nam priora unde ſint expreſſa, conſtat. Homerus ſic:

πολλων δ' ἀνθρωπων ιδεν αστεα και νοον εγνω
πολλα δ' ὅγ' εν ποντῳ παθεν αλγεα ὁν κατα θυμον.

** Explicat contra quam vulgo fit Cicero Fin. II, 32 & cum Euripideo illo confert, ἡδυ σωθεντα μεμνηθαι πονων.

iuriarum acceptarum, non modo ultio, ſed obverſans invito memoria: tum vero illud ipſum, paſſum eſſe iniuriam, eamque fortiter ſuſtinuiſſe, & generoſe contemſiſſe, gratiam beneficio quoque, ſi potueris, benevolentia quidem certe, retuliſſe, utilitatem denique ab inimico eam, quam Plutarchus * praecipit, percepiſſe, ea vero eſt tanta tamque ſolida ad animum, ut quisque eſt liberaliſſimus, voluptas, qua perfrui, quam diutiſſime fieri poteſt, plus profecto gloriae habet, quam cum iniuriae memoria omnem quoque fructum illius e mente velle auferre. Interrogemus hominem, ſi quis tota vita fuerit cum adverſa fortuna colluctatus, naufragium fecerit, rem perdiderit, orbitatem ſubierit, exul patria caruerit, poſtremo, quidquid eſt laborum aerumnarumque, id omne exanclaverit; hunc igitur emerſum ex his malis tantis, redditum priſtino ſtatui, in otioque iam laeto ac tranquillo viventem interrogemus, utrum quae duriſſima perpeſſus eſt, eorum aliquid vellet non accidiſſe: nolit profecto, ut opinor, ullam illarum calamitatum non ſubiiſſe, certiſſimo indicio, adverſos quoque fortunae caſus, non modo ob illam ex eventu felicitatem, ſed ipſa experientiae ſuavitate dulces fieri. ** Illa autem quae in

Cato-

* Aureolo ſcil. libello πως αν τις υπ' ἐχθρων ωφελοιτο.

** Eleganter & ſententioſe, ut omnia, poeta Germanus, a quo nuper ſcriptas habemus *diverſarum epiſtolarum* dodecadas duas, Francico

illas

Catone * Cicero commemorat, quae, si hic mos iam, qui Romae fuit, superesset, populi consensu contingerent eadem VOBIS, *appeti, deduci, reduci, consuli,* quaeque honoratissimis viris tribuuntur nunc quoque, *salutari, decedi, assurgi,* quanti putamus facienda? sunt enim honorabilia certe &, ut ibidem Cicero ait, *non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt, sed honeste acta superior aetas fructus capit auctoritatis extremos.* Recte requirit honeste actam aetatem, cuius opprobria nimirum, si qua sunt, omnem, quae in senectute esse poterat, tollunt apud conscios auctoritatem, ipsa vero haec auctoritas cui auscultatur, cui creditur, cui omnis honos defertur, quem diximus, nititur maxime coniuncta cum gravitate annorum experientia, quae facit venerabiles, summamque, ut senilis usuque plurimo tritae pru-

 dentiae

illas carmine, ne sola suis beata esset Boilaviis, Regneriis, Rossellis, (Rousseaux) Francia, sed argumenti gravitate atque dignitate multum illis eminentes. Sic igitur ille *Epitre à Alceste le Misantrope* Tom. I, p. 21.

Je plains le fortuné, qu'aucun malheur n'afflige,
Il me semble en effet, que le Ciel le neglige,
Je suis tout glorieux, de pouvoir me vanter
De mille & mille maux, que j'ai pû supporter.

videtur in animo habuisse, priora quum scriberet, Demetrii Cynici vocem, quae est apud Senecam de Prov. c. 3, *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil usquam evenerit adversi.*

* Cap. 18.

dentiae exſpectationem, ſic amorem atque dignitatem inter omnes conciliat. Itaque

- - - - magno in populo cum ſaepe coorta eſt
ſeditio, ſaevitque animis ignobile vulgus,
iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
tum pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
conſpexere, ſilent, arrectisque auribus adſtant.
*Ille regit dictis animos & pectora mulcet.**

Eoque in loco conſtitutus ſenex, etiam ſi ſummis hominibus arbitrium ſuum interponat, etiam ſi acerbiora quaedam, vixque ab alio ferenda, neque nihil gloriatiunculae habentia dictis admiſceat, tamen non modo moleſtus non eſt ſuis ſermonibus, verum etiam iucundus. Melleum ** quidem flumen orationis fuiſſe dicit Homerus in illo triſaecli Neſtore ſene, quo etiam infenſiſſimi, ut tum erant, regum animi demulcerentur.

Sed cum hac ſumma ſuavitate, quam vidimus, coniuncta eſt non minor *utilitas*. Sanctus quidem Jacobus is, qui conſobrinus frater Chriſti fuit, utramque ſimul afflictae pietati Chriſtianorum proponit. Primo iubet illos omnibus

incedere

* Aeneid. I, 152 ſeqq.

** Ιλ. α, 249.
τȣ και απο γλωσσης γλυκιων μελιτος ῥεεν αυδη.

incedere laetitiis, ſi & varie & graviter contingat ipſos adverſa fortuna tentari. Philoſophus hoc dixiſſet, & iuſſiſſet nos mala noſtra nobis gratulari etiam, ſcilicet illum ablegaremus ad ſeveram porticum eorum, qui docuerunt, virtutem etiam in Phalaridis tauro & in equuleo eſſe beatam, & negaremus tantam fortitudinem cadere in humanam naturam. Nunc is dicit, qui non a Zenone, non a Poſſidonio, ſed a Deo haec praecepta accepit, atque etiam demonſtrat, qui fructus hanc conſtantiam ſequantur. Quorum primum eſt conſuetudo ipſa patiendi, & quidam non obfirmati animi, ſed virtutis veluti callus; deinde ea, quae coronat hanc virtutem, aeterna felicitas, quam negant primi Chriſtianorum ipſi, niſi hac via laborum, attingi poſſe. * O inſigne bonum experientiam adverſorum (ſic enim optime appellabimus eos, quos ab experiendo dicit Apoſtolus πειρασμȣς) ſi non modo hanc breviorem vitam, quae immunis eſſe a corporis malis non poteſt, efficit ſaltem ab animi malis maximis patientia immunem, verum etiam poſt haec id, quod maius eſt, praeſtat, perpetuitatem gaudii vitaeque ſempiternam. Nuper is, qui Leibnitianam Theodicaeam perficere, qua parte nondum videretur Baelio ſatisfactum, aggreſſus eſt, felicitatis quamdam legem poſuit hanc, ut ſine aliqua mali admix-

* Act. 14, 22

admixtione ſentiri ipſa plene ac perfecte non poſſit. Itaque ne illis quidem, qui in caelo triumphant, permittit intaminato ac ſincero gaudio frui, ſed ſingulis cohortibus caelitum ſingulos ex illis, qui poenis aeternis adficiuntur, ſiſti vult, quorum ſuppliciis comparata illorum felicitas ipſo adſpectu maior fiat. Crudeliſſimam vero voluptatem! dignamque non caelicolarum ſanctitate, non Chriſtianis, non hominibus, ſed illa Romanorum efferata immanitate, qui cruentas minime, tum quidem, nocentium mortes dulce ſibi inter convivia ſpectaculum fecerunt. Valeat, valeat illa, legem dicam an potius labem? felicitatis, quam verendum eſt, ne tandem ad recte percipienda caeli gaudia neceſſitatem beatis, non fruendi diriſſimo ſpectaculo, ſed quod abominandum, aliquantiſper ſentiendi cruciatus ipſos infernalium ſuppliciorum, imponat. Abſunt haec a caeleſtium liquidiſſima voluptate longiſſime, quae nonnullum locum habent in praeſenti vita. Nam in iis rebus, quibus abundant, qui inter homines beati numerantur, quantum boni inſit, eum demum recte aeſtimare, qui contrarium aliquando expertus fuerit, omnes conſentiunt. Itaque utile eſt ei, qui recte

valet,

valet, ut aliquando adverſam quoque valetudinem, non exoptet ille quidem, ſed venientem libenter excipiat, per quam non ipſa conſecutura ſanitas augeatur, nec id, quod illa habet, bonum, ſentiatur efficacius, ſed pretio ſuo melius aeſtimetur, excuſſo velut ſtimulis doloris naturali illo veterno, qui ab uſu recto & ſalutari huius divini muneris, a meritisque gratiis datori eius agendis torpentes animos nimium quantum retardat. Non caret igitur magno commodo, cum alias res experiri, tum vero aegritudinem, non modo corporis illam, ſed animi quoque, ſi quis effugere hanc omnino non potuerit. Nec tantum conducibilis eſt ea experientia ad illa, quae dixi, verum etiam ad hoc, ut ſolatium his, qui in ſimili ſunt infortunio, poſſis afferre. Vt enim nihil moleſtius eſt homini in vero luctu verſanti, quam plerorumque non profecta ab interiori ſenſu quodam, ſed inſidentia labris alloquia: ita contra nihil ad animum e ſummo ſqualore excitandum potentius eſt, quam illorum, qui ſunt idem experti, conſolatio. Neque vero conſolantes intelligo vel hos, qui ſola e commemoratione caſuum ſimilium & ſocietate doloris praeſidium laboranti

 amico

amico petunt, iam dudum enim id miserum solamen esse dixit poeta; vel illos, qui quae ipsi superarunt aliquando, superari & contemni in recenti etiam dolore imperant, quibus recte dixeris Terentianum illud:* *Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus. Tu si hic sis, aliter sentias*; sed illos, qui fomenta vulneribus, qualia, quando, quomodo sint adhibenda, usu suo potius quam dictis praeceptisve aliorum didicerunt. Multa praeterea dici possent, quibus rebus praestet utilitatem experientia propria. Itaque exorsus a poetis, dicerem v. c. Homeri Boeotiam non fuisse nos habituros ita pulchram, totamque Graeciam in ea non ita vividis coloribus depictam, ut non modo carmen admirabili varietate illa divinum plane, sed accuratam quoque Geographiam legere nobis videamur, cuius fide etiam finium regundorum certamina Graecos interdum composuisse, Strabo testis est; hanc igitur descriptionem omnium oppidorum, omniumque prope vinearum, & columbariorum adeo, tam iucundam non haberemus, nisi ipse poeta omnia obiisset, oculisque attentis perlustrasset; nec Britanni-

cus

* Andr. Act. II. Scen. I, 11.

cus ille Homerus tam feliciter nobis immortali illo poetico penicillo adumbratum fecisset Adamum modo incommoda amoris recensentem, modo fractum uxoris precibus, ipsam vero prehendentem viri genua, gratiamque illius suis blanditiis reconciliantem, nisi accidissent ea, quae primo amanti in iuventute, deinde viro ab uxore deserto, usu venisse, e vita illius relata legimus a Germanico Miltoni interprete pag. 484, 487. Haec igitur & plura talia cum exposuissem, deinceps ordine percurrerem doctrinas artesque reliquas, quamque multa in his discenda sint usu suo cuiusque, quae vix praestet experientia aliena, dicerem, nisi religio esset sermone longiori tempora VESTRA, quae sunt publicis dispensata commodis, morari; quae religio facit, ut illud ipsum, quod restat, *necessariam* esse hanc experientiam, quam disputamus, tribus modo verbis attingere, quam copiosa demonstratione, nec praeterea difficili, persequi malim. Constat enim quam multam quotidianarum in vita rerum cognitionem solo usu quodam indocili accipiamus, ut sunt ea, quae oculorum auriumque iudiciis discernenda videamus, sonorum intervalla, locorum distantiae, colorum varietates,

rietates, quae, ut ſine hoc ſenſu videndi audiendique, quo ſumus praediti, intelligi non poſſunt, ſic mollia, aſpera, dulcia, acerba, foetida, ſuaveolentia quae ſint, ſolo palati nariumque & tactus uſu perpetuo, indeque a prima aetate firmato, diſcimus. Ab his autem vulgaribus tranſeuntes ad ea, quae ſunt maiora, videmus Theologiam (utamur enim inſtar omnium hac ſanctiſſima diſciplina) utilem atque veram eſſe hanc, non quae arrepta auribus & percepta intellectu in animum ipſum numquam altius illabitur, ſed quae uſu quoque comperitur, totaque mente quaſi imbibitur, in eaque gignit illam πληροφοριαν ſive fiduciam, quam conceptam haerentemque imis medullis Spiritus ſanctus idem, qui dedit, evelli inde rurſus haud facile patitur. Ex quo eſt illud Chemnitii praeclariſſime dictum, de iuſtificatione per fidem, h. e. de condonatione culpae non ſequente bene facta noſtra, ſed promeritum Ieſu Chriſti, illum optime θεολογειν, qui inter agitationes crebras animi, delictorum ſuorum magnitudine & indignitatis reputatione contremiſcentis, interque perpetua reſipiſcendi exercitia & pavores mortis, hanc doctrinam pertractaverit, ſecumque habitare

ſuae

ſuae infirmitatis conſcientia, ac ſibi diffidere, ſpem vero omnem in univerſi expiatore generis humani reponere didicerit. Sed & prior ille Eccleſiae noſtrae magnus Martinus, tantoque Chemnitio maior, quanto maior eſt, qui veritatem diu ſepultam ex abdito eruit, quam qui inventam defendit, is quoque in Theologo abſoluto & perfecto requirebat praeter *orationem* & *meditationem* tertiam *tentationem*, h. e. uſum & experientiam; illa enim fecit Lutherum ipſum praecipue talem, qualem cognovimus & admiramur, illa *Melanchthones*, *Spalatinos*, *Chemnitios*, *Gerhardos*, *Ioannem*, & illum inter Hymnopoeos nobilem, *Paullum*, dedit Eccleſiæ, illa multum in hac etiam civitate ſacro coetui profuit, illa VOBIS commendavit caetera quoque, ſi qua amatis in patre meo bona, illa - - - - Sed neſcio, quomodo in ipſo exitu ad domeſticas laudes mea deflectit oratio, quae aut VESTRAS tantum debet commemorare, aut, ſi id non poteſt, ut non poteſt, ſilentio ipſo magnitudinem illarum ſignificare. Itaque finem huic epiſtolae impono, ſolam adii[illegible] mmam votorum meorum hanc, ut liberati eius [illegible] natalem

VESTRVM inter auctricia, non iam prudentiae VESTRAE, cui nihil forte usus adstruere potest, verum eius voluptatis, quam e factorum consiliorumque VESTRORVM fructu capitis, experimenta, quam diutissime agatis. Scr. Thoruni a. d. 26 Aug. cIↃIↃCCXXXXVIII

MAGNIFICORVM NOMINVM VESTRORVM


Biblioteka Jagiellońska
stdr0025602

